



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De illis qui pro vita redimenda periurium fecerint. vi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**



De illis qui iumentibus dominis suis periurium fecerint. Cap. III.

Ex decr. Pii papa cap. 2.

Qui compulsus à domino peierat se sciens, utriusque periuri, & dominus & miles: dominus: quia proceperit miles: quia plus dominum, quam animam dilexit. Si liber quadraginta dies in pane & aqua poeniteat, & VII. sequentes annos. Si seruus eius est, tres quadragesimas & legitimarias, poeniteat.

De illis qui peierant se in manu episcopi, aut in cruce consecrata, aut non consecrata.

Caput V.

Ex poenitentiiali Theodo.

Qui peierat se in manu episcopi, aut in cruce consecrata, III. annos poeniteat. Si vero in cruce non consecrata, annum vnum poeniteat. Qui autem factus fuerit, & ignorans se peierauerit, & postea cognoscens, tres Quadragesimas poeniteat.

De illis qui pro vita redimenda periurium fecerint.

Caput VI.

Ex poenitentiiali Romano.

Si quis coactus pro vita redimenda, vel pro qualibet causa vel necessitate se peierat: quia plus corpus, quam animam dilexerat, tres Quadragesimas. Alij iudicant tres annos, vnum ex his in pane & aqua, poeniteat.

De illis qui iniusta vota iuramento firmauerint.

Caput VII.

Ex concilio Toletan. cap. 9.

Necessesse enim est, ut male iurans, dignam poenitentiam agat, eo quod nomen domini contra preceptum illius sumpsit in vanum: quia in Exodo scriptum est: Non iurabis in nomine domini Dei tui frustra. Et in Leuitico: Non peierabis in nomine meo, nec pollues nomen domini Dei tui. Dominus. Malum tamen quod facturum se sacramentum iurauerat, omnino non faciat: quia stulta vota frangenda sunt.

De eadem re. Cap. VIII.

Ex decr. Fabiani pa. ca. 11.

Quicumque sciens se peierauerit, quadraginta dies in pane & aqua, & septem annos sequentes poeniteat. Quod si nunquam sit sine poenitentia, & nunquam in confessione recipiatur, & post haec communionem percipiat.